

www.e-rara.ch

**Tractatus Huc atque seorsim nondum editus, De Morbis Infantum
Præcipuis**

Hoffmann, Friedrich

Basileæ, 1741

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-139389>

Caput XI

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

CAPUT XI.

De aliis infantum morbis.

§. I.

Institutum.

Placet nunc pauca de adfectibus nonnullis in uno capite collectim sumtis subicere; non quidem eo animo, ac si eisdem leviores, & speciali disquisitione indignos haberemus, sed quia non tam longam & scrupulosam causarum evolutionem postulant, admodumque pauca ex medendi methodo ad sanationem requirunt, si modo recto tempore, ordine & debito regimine adhibeantur.

§. II.

*Cardialgia
signa*

Primo loco se offert cardialgia, quæ se maxime per insignes pectoris angustias cum respirandi difficultate junctas, per abdominis & præcordiorum sub costis spuriis inflationes, per inquietudines & sæpe conjunctos ructus manifestat; quibus etiam non raro febriculæ & convulsiones superveniunt.

§. III.

-- causa

Oritur hoc morbi genus à violenta & spastica ventriculi orificiorum strictura, & flatibus inde inclusis, qui sensibiles ventriculi membranas distendendo, summas anxietates, inquietudines,
&

& ob impeditum diaphragmatis descensum, respirandi difficultatem cum reliquis produciunt symptomatibus. Ad hanc vero causam constituendam maxime omnium meconium non rite evacuatum, vel lac coagulatum & stagnans, vel alii etiam humores visceri in prima regione stabulantes, & in flatu resoluti contribuunt; non exclusis demum aliis, quæ nervosas ventriculi tunicas irritando, ad spasmodicam constrictionem animare, & nocivam flatuum retentionem inducere valent.

§. IV.

Præsente paroxysmo parum lactis offeratur, & tam nutrice, quam infanti pulveres antispasmodici absorbentes cum aqua quadam carminativa propinentur, datis simul potus loco decoctis cornu cervi gelatinosis, & emulsionibus temperantibus. Quum vero debita flatuum discussio & eductio optimum in tali casu præstet auxilium, necesse est, ut per clysteres leniter carminativos & emollientes huic scopo quamprimum satisfiat. Extrinsecus quoque adhibita paregorica multum huc faciunt; quo fine inunctiones abdominis cum linimento, ex oleo chamomill. & anethi cocto, additis ali-

-- curatio
per anti-
spasmodica

quot

quot guttulis olei cumini, menthæ vel caryophyllorum & aliquot granis camphoræ, merentur commendari.

§. V.

-- per carminativa

Alvo clysterum ope referata, leniora carminativa profunt; nisi febricula auctior obstet: quamobrem nutrici essentiam corticum aurantiorum, carminativam Wedelii cum liquore nostro anodyno mixtam; infanti vero æleosacharum ex aliquot guttulis olei anisi & chamomillæ veri paratum offerre expedit, superbibendo decoctum avenæ excorticatæ calidum.

§. VI.

-- post paroxysmum.

Extra paroxysmum ad fomitem mali subtrahendum non modo nutrix, sed infans quoque leniter debet à for-
dibus depleri; quod in hoc casu optime perficitur, si per intervalla ad sex, octo vel decem grana pulvis porrigitur, qui ex rhabarbari electi, lapid. cancror. ana drachma dimidia, semin. cymini gr. VI. componitur; non omiſſis demum remediis roborantibus stomachicis, ut est elixirium nostrum balsamicum viscerale.

§. VII.

Urinæ suppressio.

Quando pueri vel nihil urinæ reddunt, vel guttatim & cum ploratu min-

mingunt, urinæ adest suppressio, quæ horrendis sæpe cruciatibus adfligit, quia tum plerumque teneri præ anxietate & inquietudine lac avidius sugunt, neque tamen ab ejus copia per mictionem se exonerare valent. Oritur hæc anxia mingendi difficultas, quando lac nutricis per crassa, acida & acria edulia est corruptum, vel si ipsa, ob potus infalubres, difficulter mingit; siquidem talis solet esse infantis urina & mictio, quales sunt ejus humores, atque ea deprehenditur humorum constitutio, qualis lacteus nutricis succus, quem nutrimenti loco, durante lactatione, ex mammis pusillus recipit.

§. VIII.

Sæpe etiam causa ischuriæ est calculus in vesica obhærescens, quo facile infantes, ob largiorem succorum acidorum progeniem, laborant; maxime si per hæreditariam dispositionem à parentibus acceptam ad calculi generationem inclinant. Hæc vero causa si subest, exinde cognoscitur; si infantes genitalia digitis scalpunt, & urina non modo guttatim ac cum gemitu emittitur, sed sabulosæ quoque particulæ simul prodeuntes in urina adserata fundum petunt. Quod si vero

Calculi originis signa.

signa

signa hæc omnia non sufficerent, per artificialem explorationem præsentia calculi facile poterit detegi.

§. IX.

Curatio is-
churia per
diætā &
aliā

In curatione id maxime curandum est, ut diætā nutricis, durante adhuc lactatione, aut ipsius infantis, si ablactatus est, emendetur: quod optime fit, si omnes cibi incongrui, & potus minus salubres serio fugiuntur. Dein vero, malum plerumque sustentatur ab impedita alvi exoneratione: quare hæc ante omnia debet promoveri; nisi impetum humorum ad vias urinarias majorem efficere velimus. Quo fine vel passulæ rhabarbarinæ inter cibos datæ, vel clysmata ano injecta profunt.

§. X.

-- per po-
tum

His præmissis commodus nutrici, vel etiam infanti potus est præscribendus, qui non modo diluens, sed leniter quoque diureticus est; qualis esse solet, si aqua levis cum radicibus asparagi, dauci, petroselini, graminis, fœniculi, saxifrag. cichorei decocta mane calide, & dein frigide potus loco exhibetur. Nec minor est efficacia feri lactis aciduli cum cancrorum lapidi-

lapidibus correcti, quod simul temperantem habet virtutem.

§. XI.

Quando à calculosis ramentis urethram obstruentibus, & sensibilem ejus tunicam irritantibus urinæ fluxus cohibetur, & horrendi dolores calculosi concitantur, iidem profunt clysteres emollientes; interne vero, ad spasmus compescendum, dare convenit decoctum dialthæ Fernelii cum sapone Veneto, & oleum amygdalarum dulcium cum aliquot liquoris anodynini guttulis in decocto hordei vel avenæ calido; quibus, relaxato spasmō, subungi possunt pulveres ex lapidibus cancrorum, testis ovorum ustis, solutione oculorum cancri, & alia urinam leniter pellentia.

§. XII.

Extrinsècus, si dolor à calculo & ischuria valde urget, balnea quoque aquæ dulcis, cui emollientia, ut malva, radix althææ, flores chamomill. &c. incocta sunt, usum haud spernendum præstant. Neque de nihilo est, facculos cum talibus speciebus repletos regioni pubis tepide imponere, vel eidem oleum scorpionum inungere.

§. XIII.

§. XIII.

Morbi catarrhales unde?

Maxime quoque tenera progenies, ob largam succorum pituitosorum copiam, catarrhalibus & serosis tentatur adfectionibus, quas inter coryzam, gravedines, raucedines, tussim, asthmata, pectoris infarctum cum roncho & sibilo, parotides, oculos & aures manantes, crustamque lacteam recensemus, & jam breviter considerabimus. Singuli hi morbi generatim in eo conveniunt, quod ut plurimum ab aëris vitio, & subitanea tempestatum mutatione, nec non à suppresso transpirationis negotio suam nanciscantur originem.

§. XIV.

Tussis & asthmatis generatio

Quod vero speciatim ad asthma & tussim, eamque ferinam & siccam attinet, sciendum est: hæc vitia cum magna anhelitus difficultate, & suffocationis metu non solum sæpe epidemice grassari, sed imprimis etiam, experientia teste, dentitionis difficultatem comitari, si consensus lege ipsi respirationis nervi tenduntur & vellicantur. Neque raro eveniunt, à variolis & morbillis improvide tractatis, & quando superato jam morbo, nec alvi excretio, nec insensibilis transpiratione

tio
etiam
mat
sta la
Tum
bent
nerv
quæ
duci
hæc
vent
copie
censu
etiam
vel sp
tus ta
rantile

Qu
tis hæ
interio
ce irid
faccha
elixir
essent
ticum
amm
sint.
magis
pector

tio debito modo promovetur; vel etiam, si acris quædam excrementitia materia in erysipellate, purpura, crusta lactea &c. ad interiora fuerit repulsa. Tum enim ab humore viscido acri libenter pulmonum infarctus, & molestæ nervorum pulmonalium irritationes, quæ asthma & tussim concitant, produci solent. Denique, inprimis etiam hæc mala solent affligere, ob nimiam ventriculi inflationem à lacte viscido ibi copiose stagnante & diaphragmatis descensum impediante inductam; unde etiam non raro usu venit, ut vomitus vel sponte obortus, vel arte provocatus tam tussientibus, quam ægre spirantibus exoptatum ferat levamen.

§. XV.

Quoad sanationem tussis & asthmatis hæc maxime tenenda erunt, quod interius pulveres absorbentes cum radice iridis Florentinæ, spermate ceti & saccharo cando mixti & colati, item elixir balsamicum, ex tinctura tartari, essentia myrrhæ, croci, nucistæ, corticum aurantium & spiritu salis ammoniaci confectum, insigniter profint. In subjectis vero siccioribus & magis sensibilibus melius adhuc elixir pectorale temperatum, ex extracti

-- curatio
per resol-
ventia
pectoralia

croci granis IV. aquæ veronicæ & hyssopi ana uncia dimidia, & syrapi papaveris albi vel de erysimo Lobellii drachmis duabus compositum, convenienti dosi propinatur.

§. XVI.

-- per de-
mulcentia

His commode interponi & subjungi possunt infusa herbarum pectoralium calida, quibus, regnante præsertim humida & frigida aëris intemperie, non modo transpiratio egregie promovetur, sed & resolutorius effectus perbelle obtinetur. Atque hæc similiter conducunt, quando contumax & sicca tussis à lymphâ acriori laryngem irritante vel provenit, vel cum ea jungitur; maxime quando simul, ad acrimoniam demulcendam, sperma ceti in jusculo solutum propinatur, vel cum oleo amygdalarum dulcium, saccharo cando, syrupo dialthæ Fernellii, croco & guttulis aliquot anisi in electuarium redactum per intervalla deglutitur.

§. XVII.

-- per lenio-
ra emetica

Si quando asthma cum tussi conjunctum à cruditatibus acido-viscidis in ventriculo fluctuantibus, & inde inducta ejus inflatione dependet, cum fructu sæpius datur lene emeticum, ex grano dimidio vel quarta tantum parte tartari eme-

emetici cum soluta manna paratum, aut ex granis aliquot rad. ipecacuanhæ cum aqua calida, infusis & syrupo quodam addito edulcoratis : quem usum etiam quam optime clysteres præstant emollientes & carminativi, qui flatibus infra exitum parando, ad feliciorum morbi decursum haud parum contribuant.

§. XVIII.

Si repulsa materia acris excrementitia ansam malo suppeditat, præter interna diaphoretica, sæpe mirabilem præstant effectum leniora vesicatoria nuchæ apposita. Extrinsecus vero in hisce pectoris adfectibus suppetias ferunt inunctiones cum axungia humana & spiritu falis ammoniaci vinoso institutæ.

-- & vesicatoria.

§. XIX.

Achores, vari & tineæ, tubercula sunt ulcerosa, à vitio & corruptione feri falsi, viscidi in glandulis tubulisque subcutaneis subsistentis oriunda, & plerumque à nimia voracitate, lacte nutriticis corrupto, & suppressa per frigus admissum transpiratione, suam nanciscuntur originem. Quod similiter valet de parotidibus, auribusque & oculis manantibus.

Achorum, tineæ &c. origo

§. XX.

-- curatio.

Singuli hi adfectus, ut & reliquæ defluxiones catarrhales, optime sanantur, si nutricibus partim infusa sanguinem & lympham diluentia ex radice liquiritiæ, cortice & ligno sassafras, femineque fœniculi parata; partim pilulas de succino Cratonis cum & sine mercurio dulci, item elixir pectorale superius descriptum propinamus: infanti vero pulveres ex antimonio diaphoretico, lapidibus cancrorum, iride Florent. lacte sulphuris, pauxillo croci & oleo anisi confectos; nec non laxantia, & mercurio dulci, rhabarbaro & manna conflata porrigimus. Parotides vero, præter interna resolventia, externe emplastro diachylo simplici cum camphora remixto volunt tractari, & si tumor discuti renuit, cataplasmate emolliente ad maturitatem deduci. Sed hæc sufficiant, quia jam in quarta Medic. System. parte Tomi IV. de his adfectibus fusius egimus.

§. XXI.

*Singultus
& vomitus
causa proxima*

Singultus æque ac vomitus ex stomacho & cruditatibus in ipso coacervatis oriuntur. Quod si enim tenacior acidiorque mucus superiori ventriculi orificio firmitus insidet, non modo ipse ventri-

ventric
nem,
etiam
quali
inspira
subind
unde
mitus

Ev
lum
dem
autem
que la
tis vo
extern
etiam
ansam
confer
in ma

Si a
singul
culi p
notur
pleru
rupti
est,
nes a
aufer

ventriculus ad contentorum depletionem, five vomitum stimulat, sed etiam propter consensum diaphragma quasi convellitur, & facta hujus sub inspirando contractione, singultus, subinde contumacissimus, proritat; unde etiam non raro singultus & vomitus simul tenellos cruciare solent.

§. XXII.

Evenit ut plurimum utrumque malum à nimia lactis repletionem, vel ejusdem in ventriculo corruptione. Hæc autem si præsto est, materia plerumque lactea vitiosi coloris malique odoris vomitu solet rejici. Sæpe vero externum frigus debet accusari, vel etiam dentitio difficilis & dolorifica ansam potest suppeditare, si propter consensum diaphragma & ventriculus in mali consortium trahitur.

§. XXIII.

Si à copia lactis adsumti vomitus & singultus proveniunt, nihil fere periculi præfagiunt, cum jam in vulgus notum sit, vomitu in hoc casu infantes plerumque levare. Si vero lactis corruptio causam mali constituit, pejus est, quia sæpe epilepsiæ & convulsiones accerfuntur, quæ vitam haud raro auferunt.

K 3

§. XXIV.

§. XXIV.

-- curatio
generalis

Ad rectam sanandi methodum ipsæ nos causæ deducunt. Quod si enim lac copiose sumtum peccat, in posterum ejus quantitas debet subtrahi; si vero depravata ejus qualitas in vitio est, debitam ejus excretionem tam in nutrice, quam in infante procurare decet. Qua autem ratione hoc perficiendum velimus, iterato in hac tractatione docuimus.

§. XXV.

-- & spe-
cialis.

Speciatim vero in utroque adfectu prodesse solent, syrupus menthæ vel betonice cum aliquot olei macis vel liquoris anodynii guttis datus, vel etiam aqua florum chamomillæ, millefolii, menthæ, cerasorum nigrorum cum prædicto liquore minerali oblata. Extrinsecus non modo frictiones cum pannis calidis, sed & inunctiones regionis ventriculi cum oleo anethini uncia una, menthæ drachma dimidia croci scrup. i. vitelli ovi no. i. egregio sunt levamini.

§. XXVI.

Alvi ad-
strictæ
causæ

Alvus infantibus modo adstricta modo nimis soluta est. Adstrictio contingit,

tingit
races
gunt.
que
ro ex
statin
diutiu
que

Ac
præci
trix vi
terpoli
cum ri
rium n
storffa
currito
barino
cannæ
tim c
cum n
ro lach
que u
bilibu
dulc.
inflic

Al
rhoce

tingit, quando infantes nimis sunt voraces, aut ipsæ nutrices, si adhuc sugunt, victu crasso & acido, potibusque spirituosius delectantur. Licet vero ex tardiori secum excretionē non statim noxa redundet; sæpe tamen, si diutius retinentur, magnis gravibusque malis ansam suppeditant.

§. XXVII.

Ad alvum igitur rite solvendam, eo -- *sanatio.*
præcipue dirigenda est intentio, ut nutritrix victu levi & emolliente utatur, interpositis in cibo passulis minoribus cum rhabarbaro & saccharo in electuarium redactis, vel cum pomis Borstorfianis decoctis. Infanti vero succurritur partim syrupo cichorei rhabarbarino, cum aliquot granis mechoacannæ albæ per intervalla dato, partim clysteribus ex decocto avenaceo cum melle & butyro factis, vel ex ferro lactis & sapone Veneto paratis. Neque usu caret infimi ventris circa umbilicum inunctio cum oleo amygdal. dulc. pulveri trochisc. alhandal nupto instituta.

§. XXVIII.

Alvi adstrictioni opposita est diarrhoea, seu nimium alvi profluvium, *Diarrhœa genesis*
quod

quod infantibus numero pluribus ab ira & perversa nutricis diæta, à transpiratione prohibita, à vitiata ciborum digestionem & inde inducta bilis acrimonia evenit: unde feces varii coloris, odoris & consistentiæ, imo sæpe sanguinolentæ crebrius dejiciuntur: non alia ex causa, quam quia intestina vel spasmus constricta contentas sordes exprimunt, vel propter atoniam sponte dimittunt. Quare sæpe sæpius usu venit, ut ejusmodi alvi dejectiones non modo graves dolores e. g. ex dentitione difficili comitentur, verum etiam atrophicis & paralyticis valde sint familiares.

§. XXIX.

-- *tractatio respectu nutricis*

Licet vero sordidum hoc malum tum infanti, tum aliis valde sit molestum, sæpeque timorem funesti eventus injiciat; minime tamen statim debet sisti; præsertim si illud bene ferant pueri, nec inquietudine, vigiliis, ventris torsione, atrophia, aliisque signis opem sibi ferendam expetant. Quod vero si accidit, primo omnium ad lac nutricis, si eodem adhuc utitur, est respiciendum, atque nutrix, si mali causam fovet, permutanda, substituendo

tuendo
succo
naces

Ipsi
bolo a
quot
ti pro
stantia
tia par
test ad
tum ex
mini a
ruv. dra
drachm
calide i

Præ
in signis
dis du
transco
nesmu
gie sol
tius d
profin
fato,
opii c

tuendo in potus locum ptisanam cum succo cydoniorum, vel juscula gallinacea cum oryza & milio decocta.

§. XXX.

Ipsi infanti laboranti pulveres ex bolo armeniae lapid cancror. cum aliquot granis cort. cascarillae interne dati profunt: quibus etiam pro circumstantiarum ratione succinum, vel tertia pars theriacae coelestis pro dosi potest addi. Extrinsecus autem linimentum ex olei nucistae expressi, olei jessmini ana uncia dimidia, balsami Peruv. drachmis duabus, olei menthae drachma i. compositum, ventrique calide inunctum commendari meretur.

§. XXXI.

Præter hæc vero in tali morbi statu insignis est usus clysterum, ex fero lactis dulci cum milio & oryza cocto & transcolato paratorum; quæ simul tenesinum frequentissime junctum egregie solantur: licet etiam huic ipsi diutius duranti optime & quasi specificè profint suppositoria, ex vitello ovi asfato, cum croco, thure & uno grano opii conflata.

S. XXXII.

Conclusio.

Atque hæc sunt, quæ de morbis infantum præcipuis cum B. L. communicare volui. Deus O. M. qui non ignorat, me, præter sui gloriam, artis nostræ incrementum, & ægrotantium salutem, nihil unquam magis curæ cordique habere, hæc omnia reddat salutaria, ut suo tempore fructus ferant uberrimos.

F I N I S.



C

HO

Regis
Arc

JOAN

Phil

F

RICI